



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Antonii Milliei, Lvgdvnensis, E Societate Iesv, Moyses
Viator**

Millieu, Antoine

Lugduni, 1636

Libri Tertii Argumentum, & Synopsis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69066)



LIBRI TERTII

Argumentum, & Synopsis.

MOYSES agniti fortuna nihil commotus Pharaon, neque prioribus duabus plagis, quas visi sunt præstigiis eluisse Magi, factus mollior, septem sequentibus atteritur eo ordine, quo illatæ narrantur, Exodi 8. 9. & 10. capitib. tertia, scilicet, Sciniphes. 4. Cenomyia. 5. pestilentia pecoris. 6. scabies, & ulcera. 7. grando prodigiosæ magnitudinis. 8. Locustæ. 9. Tenebræ palpabiles triduanæ. Denuntiatur etiam decima primogenitorum cædes ex cap. 11. Exodi: quod fingitur fieri in aula Regia, in qua extaret memoria Iosephi SALVATORIS Ægypti, incisa sculptis marmoribus, & somnia Pharaonis, quæ referuntur Gen. 40. & 41. Vnde capto argumento Moyse maiorum suorum beneficia in Ægyptos, ad eliciendam, quam postulat, abeundi veniam, reuocat in mentem Pharaoni; sed frustra. Fingitur etiam Memnon Nili Sacerdos ad auertendam seditionem populi, ad grandinis plagam tumultuantis, postulare etiam Hebræis comitatum. Variis exceptionibus Pharaon Moyse petitiones conatus eludere, quæ omnes refelluntur, fidem fallit, semper ad verbera durior.

1 Plaga tertia Sciniphes, quos plerique, & verisimilius, cyniphes, ceu culices, minutissimas fuisse muscas docent. Eorum forma, habitus, armæque describuntur.

2 In culicum velitatione, quæ infirma sunt Dei, digitum illius agnoscunt Magi, victis suis præstigiis. Iannes illo indicio doctus Regem monet grauiora Dei arma declinanda, & dandas illi maturè manus: *Digitus Dei est hic.*

3 Plaga quarta, Cenomyia: muscæ grandiores omnigenæ. Denuntiatur Regi à Moyse.

4 Immittuntur

4 Immittuntur muscæ grandiores, sævientibus adhuc culicibus. Duces earum Beelzebub, & Angeli mali, qui fortè Muscario Herculi, & Græcis in Elide Myiodes, & Myiagros, quos hîc frustra inuocant Magi ad cohibendam muscarum impudentiam; quam flabelliferi, regi- que Muscarij frustra abigunt.

5 Fingitur perterritus Pharao cantharidum examine infidente regio diademati, dare veniam sacrificandi; sed intra fines Ægyptios. Negat Moyfes id fieri posse sine certo Hebræorum exitio, immolatis bobus Ægyptiorum Diis, & Deabus.

6 Dat abeundi veniam Pharao; sed depulsis antè muscis, ac ne procul abeant ab Ægypti finibus. Fidem fallit.

7 Plaga quinta, pestilitas in pecora die vna grassatur, sine remedio, tam breui tempore, & nullis, aut obscuris naturalibus causis; iustissimâ tamen in Ægyptios vindictâ, qui Hebræis abusi erant pecoris loco ad versandam terram.

8 Denuntiatur plaga sexta à scabie; sed eo ritu, quo facilè constet Ægyptiis sua crudelitas, & ultionis æquitas. Attriuerant tandiu Hebræos fornacum fauilla, & cinere vstulatos, & fuligine deformes.

9 Sparso in ventos puluere, foeda simul vlcera sparguntur in Ægyptios. Quàm pudenda in Satrapis & Magis coram Rege scabies, si non & ipsum Pharaona vexauit prurigo!

10 Grando prodigiosa mista igni omnia comminuit in agris plagâ septimâ: tranquilla interim serenitas aridet Hebræis, qui semper illæsi in his Ægyptiorum cladibus.

11 Sedata Moyfis precibus grandine, fidè Pharao fallit. Locustarû acies interminatus Moyfes digreditur vrbe.

12 Commotis eo metu Principibus, ac populo, crudâ adhuc grandinis plagâ, tumultus ad seditionem vergit. Memnon Antistes Regem ad laxandos Hebræos hortatur grauissimè.

13 Pharao

80 Libri III. Argumentum,

13 Pharao dat veniam viris : foeminas , vulgus , & pecora retinet. Reicit conditionem Moyfes. Irato Rege ex aula extruditur.

14 Locustæ ad octauam plagam confertis nubibus immittuntur. Earum habitus, arma, rabies famis, & pernicijs illata vbique. Tributorum iniquitatem, & Exactorum auaritiã, rapinãsq; vlciscuntur, publicanis similes, ferratis dentium rostris.

15 Moyfis oratione ad Deum fusa fugantur & extinguuntur mari mersæ, aut fluminibus.

16 Locustarum ex Abyssi puteo erumpentium cum fumo & caligine, Apocal. 9. descriptio, & allegoria. Sectæ Hæreseon funestissimæ erunt in fine mundi : sed prote-rendæ à Christo. Inde transitus ad Ægyptias tenebras, quæ horrendas illas internas, externãsq; intereunti mundo offundendas præfagiunt.

17 Tenebrarum palpabilium horror, nona plaga, ex adiunctis Sap. 17. & 18. capitibus describitur. Monstra per horrendam noctem concursantia, & igneis oculis scintillantia per tenebras, stridentiaque ad horrorem, Magos maxime, & Principes infestant.

18 Illæ tenebræ Ægyptiis Inferorum imaginem obii-ciunt; cùm interim lux splenderet limpidissima Israëli-tis. Impiorum via tenebræ, & lubricum; Sanctorum au-tem splendet, & *crescit in perfectam diem.* Prou. 4. 18.

19 Dies reddita post triduum, ostendit clades pas-sim acceptas. Moyse & Aaron aduocantur.

20 Aula regia fingitur, vbi cælata res à Iosepho præ-clare gestæ in Ægypto, & Pharaonis somnia, quæ ille sapienter interpretatus Rempublicam magnâ fide cura-uit, ex Gen. 40. & 41.

21 Pharaonis somnia Iosephus explicat. Viri exi-mia virtus, sapientia, & fides. Dignitas etiam oris & decor. Ingrata in eum posteritatis obliuio, hono-risq; regij.

22 Maior omni inuidia, & odio Moses Pharaoni formidabilis apparet. Rex abeundi potestatem facit omnibus.

omnibus. Obiecto ingrati animi crimine, & impietate in patriam, pecora retineri iubet.

23 Moyſes conſtantiffimè calumniã diluit: malorum, & plagarum cauſam in Regis duritiem reiicit, qui tot cladibus tam ſerò ſapere didicerit: ingrati crimen animi ab argumento in aulae marmoribus extante retorquet in Ægyptios: Iosephi Hebræi benefacta repræſentat, & animos in eum veterum Regum.

24 Si Iosephi præclare gesta deessent, non tamen inutiles Ægypto Hebræi, quam tot, tantisque operibus ornarant, ædificatis urbibus, cultis agris. Exprobratur contra Amenophis crudelitas, & ingratiſſima inuidia. Denique velle, & iubere Deum, ut omnia omninò pecora cum dominis Ægypto exeant: sic postulare diuinos honores.

25 Grauius offensus Moſis libertate Pharaon mortem illi minatur, & homicidium obiicit, & fugam ex aula; eumque contumeliosè extrudit.

26 Moyſes ſumma conſtantia primogenitorum cædem tota Ægypto futuram breui, nocte media, nemine prorsus excepto, denuntiat, ſpondetque, ſe non ampliùs aditurum ad Regem. Itaque ſe proripit ad ſuos.

F LIBER